

Magdeburgenses ipsorum precibus favorabiliter inclinatus cancellum chori ipsorum ex utraque parte propter imminentem et periculosam monasterii ruinam deici fecit, altari principali nihilominus destructo sacratissimum corpus beati Felicis confessoris et Metensis episcopi quod ibi a primo foundationis tempore requieverat invenit, sicut hodie occulta fide cernitur, et nos quia vidimus perhibemus testimonium veritati. Cum itaque plenus pietate bonitate ac dulcedine dei filii quem quanto plus in sanctis suis gloriosum ac in maiestate mirabilem miraculorum precedentibus omni subsequentibus esse didicimus tanto plus oportet predicare in terris sacro evangelio dicat attestante lucernam non debere latere sub modio sed in eminentiore parte domus constitui, ut ingredienti et egredientes lucis recipiant incrementum, dignum duximus, ut ob reverentiam talis tanti ac tam sanctissimi pontificis, qui sicut Felix nomine sic felicissimus virtutum operatione fungi dignus fuit sacerdotio ac sicut sol inter nebulas glorie lucis splendorem administrare meretur, ipsius memoria in laudem hominum transferatur, cuius spiritus iam de immortalitate securus ad angelorum transisse gaudium estimatur. Volumus ergo ac presentium tenore litterarum dicte ecclesie indulgemus ut Christi fideles undecumque ad ipsum locum in die translationis dicti confessoris que est octava pasche devoti concurrerint omnium indulgentiarum sint participes, quas sancta sedes apostolica ac alii venerabiles patres ac domini quorum interest ligare ac solvere dicto monasterio contulerunt. Nos etiam ad ampliandam hanc Christi fidelibus gratiam XL dies et nostram carenam misericorditer relaxantes omnes supra memoratas indulgentias auctoritate qua fungimur confirmamus.

Datum Magdeburg anno domini MCCLXVII, pontificatus nostri anno primo.

Abschrift im Weissen Buche S. 71. 72.

(1270.)

119.

Burchard von Querfurt, Domkämmerer zu Magdeburg, überlässt dem Kloster Berge alle von ihm erworbenen Gebäude des Gehöftes Vighenhagen unter dem Beding der Feier seines Jahresgedächtnisses.

Burchardus de Querenvorde dei gratia camerarius Magdeburgensis omnibus presentes litteras inspecturis salutem in domino. Considerantes curialitatem, quam honorabiles viri dominus G. abbas, O. prior totusque conventus sancti Iohannis baptiste in monte Magdeburgensi nobis exhibuerunt in curia que dicitur Vighenhagen et in vinea que adiacet concedendo ita, quod de areis in dicta curia divisim annuatim debitum censum demus, videlicet obedientiario ad prebendam dominorum XII solidos et custodi III solidos in festo sancti Mauricii, quem singulis annis dicimus nos daturum, nos volentes anime nostre saluti providere recognoscimus, quod omnia edificia curie, que nostra pecunia comparavimus

6*